

EPICEDIA

NOBILIT

DOCTISSIMO VIRO DN.
BAPTOLOMEO A LEVEN-
bergo Vodnano, artium Baccalaureo
& civi Novæ urbis Pragensis:

QUI MORBO ABSUMPTVS
die VIII. M. Decemb. anno M. D. XXCI
domum Caroli testamento hæredem ex
asse instituit, patriæq; ita toti profuit,
non minùs quàm artibus optimis
beneficio suo:

SCRIPTA ET EDITA PIETA-
tis ergò à Magistris ejusdem domus incolis.

Anno
M. D. XXCIIX.

Morte carent animi, perimit mors corpora tantum,
 Quae tamen illa eadem vivificanda manent,
 Sparsa velut sic cis conduntur semina glebis,
 Vivificumq; ferunt vere repente decus.
 Sic quoq; nostra canis illata cada vera tumpis,
 Sordida quae decoris cernis habere nihil:
 Cum genius sanctus buccis curva ara ciebit,
 Accipient vita glorificata decus.
 Sic pietate gravis Vodenana natus in urbe,
 Hac modò qui tegitur, Barptolemaeus, humo,
 Voce Dei Gnati terrae de pulvere surget
 Excitus, et caeli gaudia cernet orans.
 Felix, aethereas qui spiritus exit in auras,
 Et loca, quae recolit turba beata, petit.
 A teneris siquidem discebat Palladis artes,
 Et coluit mores cum pietate bonos.
 At ubi vir sumpsit gestus habitusq; viriles,
 Auxit et ingenij nobilitate decus,
 Vicit Holofernum fratrem, quem Zaza celebris
 Vidit pro trispidis arma leuare reis.
 Civica iusticiae sine crimine iura colebat,
 Consilium miseris subsidiumq; ferens.
 Connubium praeter, ditem Rhamnusia fecit,
 Quae solet hac doctis saepe nocere viris.
 Ergo, quòd haud sobolem de conjuge tristis haberet,
 Auxit diuinitis ex Helicone Deas.
 Nam bona legavit Musis, harumq; patronis,
 Quos tuaspe servat, Carole Quarte, domus.
 Inde sibi memorem famam laudemq; paravit,
 Non alia melius queritur arte decus.
 Qui fovet ingenuas sincero pectore Musas,
 Quòd potest, illas sedulitate iuvat:
 Hunc quoq; numen amat, fausta dans commoda vita,
 Huncq; mori nunquam Musa canora sinit.



1997 KK 69

AKL 16/43

M. Petrus Codicillus à Tulcehorva
Academiae Rector.

Aerias olim moles, spirantia signa
 Virtutis, solenne fuit sub sidera tolli
 Defunctis vita: stetit aë super aethera ductum,
 Marmoreæ steterunt moles, ingentia facta,
 Artifici dextrâ impressis animata figuris,
 Et magni cineres extructo monte quiêrunt:
 In similem raptæ virtutem, animòque viriles,
 Exemplo venturos inflammante nepotes.
 Te quoque par labor exciperet, multòsq; per annos
 Divitis, ô præstans animi, monumenta sepulchri
 Extincto vitam proferrent, priscus ab ævo
 Nî mos excideret: facere ut referenda per orbem
 Desijmus, neq; cura subit facienda referre.
 Nos tamen hæc quocunque modo tibi debita iusta
 Solvemus, noménque tuum tollemus ad astra.
 Nam quid erat felix hac aura & luce fruentum,
 Cujus inops vitam traheres? quæ meta beata,
 Digna bono, tibi non votis curaque petita?
 Non liquit dubium post exitus ipse secutus,
 Quin haustis primò caeli vitalibus auris,
 A teneris, cæpta sub lucis origine, nato
 Pectore maturo, mentémque animúmque benignum:
 Spirasses, natura annos, atque indole supra
 Aetatem tendente suam: ne spectet ab annis
 Quisquam, quæ natura parens ab origine prima,
 Atque una donat natalis temporis hora.
 Ingenerata tibi, dubio procul ignea mentis

A ij

Vis,

Vis, duci facilis, rectum quocunque vocasset,
Ipsa sui rectrix, omni rubigine pura,
Cunctorumque capax, libris quæ prænisa notavit
Artificum labor, & cæca caligine solvit.
Naturæ tantæ, Musarum signa sequentis,
Addita doctrina est, & corda potentia flexit,
Fingere quæ non prompta, geluque rigentia posset.
Casta domus, luxuque carens, corruptaque nulla
Fortuna (Neptunia stant quæ nomine tecta,
Vndosumque solum colitur) sub luminis oras
Nascentem excipiens, fundamina prima futuræ
Virtuti posuit, rectique accendit amorem.
Majorum nomen natos quis nesciat ultro
Complecti, sociæ retinentes semina stirpis.
Tum blandæ patrum voces, sua parta tueri,
Inque pedum pressis vestigia ponere signis,
Acribus instigant stimulis, coguntque paratos,
Atque ignes animis per se flagrantibus addunt.
Huc accedit, ut haud ævi pars aptior ulla
Sit recti studijs, succos bibere aure salubres,
Et circum memori sub pectore ferre repostos,
Quam tenera hæc nimium facilis, patiensque laborum,
Nescia stare loco: nutricius usus honesti
Hinc oritur, suctus primo cum lacte parentis,
Hinc affixa animis conceptio prima beati
Felicisque boni, de rebus opinio prima
Optandis, vitæ quam rumpant stamina Paræ,

Extre-

Extremusque dies adsit, non ante movenda.
Dicitur ante alios Romani maximus autor
Tullius eloquij (quo, pressa est jure togæq;
Gloria bellorum, doctæ data laurea linguæ)
Ante oculos positæ studijs arsisse figuræ.
Priscus sive color, cœlatæ ve ahenea signa,
Mores, & studia, atque viros, & facta referrent,
Sæpius, actarum haud ignarus imagine rerum,
Suspenderit vultum, mentemque per omnia volvit,
Hoc animum signo formari ratus inani.
Tu vivas vitæ, morumque domusque paternæ,
Effigies, primis hausisti lucis ab annis,
Principio magno magnos eductus in usus,
Bartholomæe salus patriæ, decus addite Musis.
Inde schola accepit formandum pectus amicis
Felicis vitæ monitis, atque ora riganda
Pieridum puro ducto de fonte liquore.
Ergo triplex fandi largo tibi copia cornu,
Effrenoque potens nimbos æquare profatu,
Contigit, impleto studijs, seu voce soluta
Addere vim rebus, versu seu facta tonare
Heroum, & quæ sit velles ostendere virtus.
Non fugiebant te sanctæ secreta parentis
Naturæ, juvit rerum cognoscere causas,
Scire quot, & cur sint magno miracula mundo:
Quid dicam faciles servato pondere mores,
Quos expers veri te turba profana sophorum.

A iij

Non

Non docuit, Christi sed virtus vivida flatu
Infudit, melius Chryfippo & Crantore, menti.
Verus homo, generis nostri quæ vis sita pollet,
Mente animum corpûsque sacris moderante sub armis,
Non tibi, virtuti vivens, non impare vultu
Sumere res vitæ lætas, ac ponere nosti.
Nunquam te tumidum sublato corde viderent
Prospera, non humilem fractûmve adversa viderent.
Religio, quam non tempus, sed vera probavit
Norma, sequens Christi, Bissenûmque ora placebat.
Non alia in mortales mens, justique tenaci
Pectore, de quovis inerat bene cura mereri.
Sub nutrice tener pendens ceu luderet infans,
Innocuus vitæ, vitióque remotus ab omni,
Cui, non dæm secli virus, sub viscera lapsum
Corruptit mentem, ac infecit pectora labe:
Sic capitis Christi, redivivus flamine, partu
Arcano, ducensque alieno sanguine vitam,
Atque Deo factus mortali in stirpe propinquus,
Vnius ad laudem direxti cuncta Tonantis.
Moribus his, tantæque instructo pectus ab arte,
Phœbea prægnans paulò post laurea bacca,
Velavit crines, folijsque innexa pependit,
Et frontis vittatus honos de vertice fluxit.
Ex illo qui te fructus, quæ signa secuta
Artificis mentis, versu mora longa referre:
Delectu rector juvenum, rerûmque magister,

Acce-

Acceptas Ludi Phœbi dum hæctis habenas,
(Qualis erat, promptus juvenilia fingere corda
Nestor, & indomiti Phœnix moderator alumni)
Sensisti felix faustam conatibus auram
Afflari, ventosque sinus implere secundos.
Hinc, postquam tædis luxit genialibus Hymen,
Fidum te civem, multis labentibus annis,
Vtile consilium, & dubijs oracula rebus,
Pectoris ex adytis dantem Respublica sensit,
Quæ turrita caput tollit super astra Casurgis.
Divitiæ suberant, congestaque pondera massæ,
Virtuti quæ sufficerent, & rebus agendis,
Vivendi rectè, non luxus munus in usus
Conversum, factûmve nocens autore pudendo.
Hinc tua te fulgenti traxit ad æthera curru
Virtus: stemma dedit primo, noménq; decûsq;
Nobile, non meritum alterius mercede tulisti.
Nam quid imaginibus, quid avitis structa triumphis
Atria, quid pleni generoso sanguine fasti,
Profuerint vitæ turpi? perit omnis in illo
Nobilitas, qui commendatur origine sola.
Quid referam summum tempus, miserósque labores,
Extremamque manum rerum, decus extitit ultrò
Omnibus omne suis, moriens: & funere, felix,
Innumeras vitæ laudes super exijt omnes.
Quantus ubi, Oceani desertis Hesperus undis,
Effert os sacrum cœlo, tenebrisque resistit,

Post

Post Phaëtonis equos, radijs & luce corusca
Nascitur, ante alios astrorum fulgidus ignes.
Nam geminas huc flecte acies, & lumine lustra:
Nónne vides, calum minitanti sacra Lycæa,
Cunctorum patriæ fontemq; caputque honorum?
Quid vitæ fieret, densa caligine noctis
Obtenta circum, pereuntéque lumine mentis,
Ne quisquam curuo possit dignoscere rectum,
Neu verum falso, terris nisi fata dedissent
Sacrați silvas Academi frugiferentes.
Has rerum fessas, sortem miseratus egenam,
Hæredes fecit supremo tempore vitæ,
Hisque suam terræ partem, charósque Penates,
Hospitium Phœbi post se, transmisit habendos.
Summa fuit pietas, nec dignè laude vehenda,
Quà quondam vinci se Mantua falsa minorem,
Hostibus ereptos secum portasse Penates,
Et subijisse humeris confectum ætate parentem:
Hic sanctam studij sedem, sanctásque parentes.
Mundum vincentes ævo, tutore carentes,
Excepit Musas, Academi membra refovit,
Et collapsis linquendum fame reddidit orbem.
Ipse parens matris verus, per cœrula vectus
Ceu qui vela regit, taciti servator Olympi:
Sic spectans hominum portum, patriæq; salutem:
Esto susceptis posuit nova mœnia Musis
Priscorum favor, hic fecit meliora tuendo,

Barba-

Barbariem sede é Stygia caput attollentem,
Horrisco super aspectu mortalibus ægris
Instantem, tendens natali pellere regno.
Hinc thalami, sancta consanguinitate propinqui
Inde, in passu extrema hominis vestigia, juncto
Ordine naturæ, succedere jure petebant:
Ast juxtà tœdis, & eodem sanguine cretis,
Præteritis, ultrò, pietas quò summa vocavit,
Et summum poterat communi ferre parenti
Auxilium, totus venit, partémque ruina
Involventem cuncta sua, moriendo levavit,
Non (fas pace tua rerum natura profari)
His ulli genito se, patria plura dedisset.
Heu virtus, heu prisca fides, justúmque, piúmque
Invictum mundo, nullis debile seclis,
Nulli hominum, neq; enim temerarius impetus ullus
Huc te fortè tulit, non te natura volentem,
Aut artes pepulére bonæ: spirabilis aura,
Cœlestum mentis præcordia ad intima lapsa
Egit, & humanis pasta est sacra flamma medullis.
His actis, cedis fatis, non indigus ævi,
Non nimius, donec reparari cœlite verbo
Impleri que fide Vnigenæ, dum pectore numen
Concipere, & raptam ex alieno quærere vitam,
Bis genitus, poteras, quo tempore peste furente
Tentatum est quæri Bojorum terra quid esset.
Ergo dum tellus Pontum, terrámque levabit

B

Aër,

Aër, & coelum fulgentia sidera pascet,
Nóxque comes lucem totidem per signa sequetur,
Nulla dies memori te nobis eximet ævo:
Proderit hoc olim, ex oculis quòd, lumine cassum,
Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo.
Absens quòd desiderijs majoribus anges,
Altiùs hòc intrabis pectora: non tibi rapta,
Sed data lux, bene dum transacto tempore vitæ,
Et meritis tantis charus cadis, incipis esse.
Tum quicquid (si qua est pietas, quæ talia curet)
Exiles nostræ poterunt audere Camænx,
Seu tibi par poterunt, seu (quod spes abnuvit) ultrà,
Sive minus, non permittent tua facta sileri,
Aut pessum seclis obliviscentibus ire,
Ossa que signabit super addita littera tumbæ:
Oceumbis, pietate una haud pote vincere fata,
Atque hac parte tui, palma quoque fama potitur:
Cui lacrymis justis Academia tale merenti
Funeris officium, victus pro munere reddit.

Adamus Hradistenus D. Collegij
Caroli IIII. Præpositus.

Plin. libri 2. capite 7.

Deus est mortali juvare mortalem, & hæc ad
æternam gloriam via.

Ploret, Montileo, tuum supremum
Tempus, iustificum, nimis que acerbum,
Quisquis collibus Isthmiæ Diones,
Phœbi militiæ sacratus, ora
Pennatæ rigat unguæ liquore.
Ipsi, palma quibus datur canendi,
Vocalis Citharæ repertor Arcas,
Et tu vaticini dator furoris,
Et Phœbus pater, & novem sorores,
Ferales capiti parate vittas,
Crinem solvite, candidamque vestem
Perfundant hederæ Stygi dicatæ.
Docti fletibus augeantur amnes,
Et vos Aoniæ madete silvæ,
Et (quæ copia cunque) ferte dona:
Sertis mollibus expleatur umbra
Pallentis violæ, nigri cupressi,
Et floris propria cadentis umbra:
Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum.
Quas Dirce lavat, aut alit Citheron.
Vodnanum canimus, favete linguis,
Vestrum tempus adest, favete Musæ,
Dum qui vos inopes, periclitantes,
Fessas, exitio gravi relictas,
Desertas, recreavit & refovit,
Phœbæi colitur chori patronus.

B ij

Felix

Felix heu nimis, & beata tellus,
Cui nomen vitreae dedere lymphæ,
Æquans prole sua pium Iosephum,
Privantem fame languidum parentem:
Neptalivæ satum, per angiportus,
Cælos, luce manu improba legentem,
Orta nocte piè solo tegentem.

Aeneis patrios ferens penates,
Iulùmque, Patrémque, provocare
Factis Monticolam noli Leonem,
Argivæ meritis nolite chartæ
Natum protinus atque humum per ipsam
Blando murmure dulce vagientem.
Hunc Astræa sinu suo recepit,
Et dixit, puer ô sacratæ Musis,
Priscorum bene transiture facta,
Non tu res agere, & tenere solùm
Privatas, sed in omnium decorem,
Communis, teneras venis sub auras.

Defossis alij incubent metallis,
Et terras teneant feraciores,
Hæredi citò prodigo dicandas:
Tu silvas Academiæ sacratas
Hæredes statues, & accidentem
Terræ Pieridum domum politam
Tolles rursus humo, (remunerando
Doctrinæ bona, quæ tibi parabit)

Et sol-

Et solves fame, & anxio dolore:
Quò Musis sacra turba congregetur,
Et sedare sitim liquore dulci,
Phœbeo queat, & Boni salubres
Docto potet ab ore mente succos.
Sed & te per iter tenebricolum
Tristem fata volent subire Lethem.
O sævæ nimiùm gravesque Parcæ,
Queis idem bonus & malus putatur,
O vobis malè sit malæ tenebræ
Mortis, quæ omnia clara devoratis:
Heu tantum patriæ bonum auferetis,
O dirum scelus ô scelus dolendum.
Sic fata est, lenitèrque defluentes
Absterfit lacrymas, nitente vitta.
At tu, qui poteras videre, quantis
Nostra te afficerent bonis Lycæa,
Pectus artibus instruendo doctis,
Et has qui poteras referre grates,
Doctrinâsque suam docere vitam:
Quæ duo pia gratitudo jungit:
Salve lux hominum & decus tuorum,
Præstas, docta quod ora per virorum
Plus uno maneat perenne seculo.
Quam libris seriem morantis ævi
Inscripère tibi bonæ sorores?
Natis inque vicem inde nascituris,

B iij

Et ne-

Et nepotibus, abnepotibusque,
Legeris Claræ pater parentis:
Nec ullo sacer eximeris ævo,
Famæ curribus arduis levatus:
Dum mons Aonius, Patérque Phœbus,
Dum sacri nemoris decus manebit.
Et hi, quos decoras, stabunt, Penates.

M. Marcus Bydzovinus
à Florentino.

B Arptolomæus ego Vodnanus, morte peremptus
A Leunperg jaceo, conditus hocce solo.
A teneris chari quem nutrivère parentes
In vera summi cognitione Dei.
Dumq; per ætatem licuit, curæ fuit illis
Artes, ut nossem, gnaviter ingenuas.
In quibus edoctus divino munere, sensi
Exculti ingenij flumina pura mei.
Vnde mihi primum studium informare juventam
Dulce fuit: summo sæpe juvante Deo.
Inde artes reliquas sophiæ Græcisq; Latinæ
Iunxerunt multi verbula discipuli.
Et labor est solers quia semper dignus honore,
Egregia ac virtus præmia digna capit:
Me lauri bacca dignum Pragensè Lyceum
Ornavit, doctis junxit & arte viris.
Postquam discessi Ludis, scholicòq; labore

Effectus

Effectus civis splendida Praga tuus:
Non te deserui vivens, morièni ve vetusta
Palladis arx, cujus Carolus autor erat.
Namq; domum propriam moriturus mente benigna
Donavi, ut melius sit tibi dulce decus.
Ergo vale, nostriq; memor sis tempus in omne,
Barptolomæi & dic molliter ossa cubent.
Et vos, ô socij, quibus est Academia curæ,
Et quibus est Musas mens adamare sacras,
Vt matri ferte auxilium, relevate jacentem,
Curate, ut gratos sentiat esse sibi.

M. Troianus Hermano-
miesecenus.

I Anua mors vitæ est, per quam Regalia cœli
Mænia, de miserâ valle subire datur.
De miserâ certè lachrymis & valle referta,
Nam quo te vertas, nil nisi triste vides.
Infans illius matris productus in auras
Ventre suæ subitis fletibus ora rigat,
Et queritur nostram communis conditionem,
Vitæ, qui caput vix bene nosse diem.
Ævi successu curarum fluctuat undis
Lactatus varijs, quos dubia aura ciet.
Grandævo, totis exhausto viribus, ipsa,
Perpetuus morbus sponte senecta venit.
Sic nihil in vita exoptabile, nilq; perenne,

Expe-

Expectant omnes tela cruenta necis.
Vita fluit fumo similis, bullæque rotundæ,
Vndis quæ pelagi nata subinde perit.
Sed quid ego, nostro quæ sunt contraria cordi,
Prædico, pro veris dicere falsa reor.
Annon sideream jocundum cernere lucem,
Et vitæ longa prosperitate frui?
Præcipuè justum cum fata parentibus ævum,
Dant, gnatos certa quò tueantur ope:
Extinguunt blando, si venerit, ore dolorem,
Aspectu frangunt omnia dura suo.
Adde bonos cives, nostra qui sorte misellâ
Tristitiam, lætis gaudia læta trahunt:
Et pressos quacunque licet ratione, levasse,
Illo nec pacto destituisse, volunt.
Vnde tot in luctus abeunt, tot flumina, amici,
Emittunt fletus, sæpius ampla sui.
Dum tristi svavem commutant funere vitam,
Et linguunt socios morte vocante suos.
Haud quoque carminibus Vodnane tacebere nostris,
Laus, decus atque chori nobile Pierij.
Christiadùm cætus nomen tibi Barptolomæo,
A Leunberg virtus stemmata clara dedit.
Musarum fautor non ultimus, ipsa fatetur,
Doctarum extiteras nocte diæque, domus.
Quam veluti matri sincero corde legasti,
Nuper enim charus filius hujus eras.

Quæ

Quæ tibi concessit, rursus bene facta rependis,
O memoranda pij præmia filioli.
At nunc immiti mortis te cuspide tactum,
Proh dolet, & lachrymis non finit esse modum.
Ingeminat toties, fili gratissime, nostrum
Adsis solamen, deliciæque meæ:
Te sine vita mihi similis censetur acerbæ
Morti, cum nullus gratus adesse velit.
Pieridum gratos homines Deus ergo cohorti,
Et Meccenates, suffice quæso, pios.
Expositam, dextra defendant lance, periclis,
Ut non deficiat, consilioque juvent. *B*
Quod superest, Vodnane, pia tibi voce precamur,
Ut tua sub tumulo molliter ossa cubent.

M. Matthæus Mendicelli
Zatecenus.

Nil fert ingrato tellus hæc pejus alumno,
Euripides scripto quod probat ipse suo.
Coccygis ille refert mores insvave canentis,
Crudeli, matrem, qui vorat ore suam.
Præterea malè grata parens mens est vitiorum
Cunctorum, veluti Tullius ipse docet.
Ingratum nam si quis dixerit, omnia dixit:
Hæc quoniam labes omnis origo mali est.
Candida damnat a vis longis odiosa colubris
Hoc hominum, cassum proh pietate, genus.

C

Quæ

Quæ tarca pressos, matremque patrémq;, senecta
Sustentans, humeris fertque cibátque suis.
Qua te laude veham? vel quo te carmine tollam?
Præclarum patriæ Barptolomæe decus?
Quòsve tui similes in vasti climate mundi
Præsenti inveniam tempore? quémve virum?
Qui tanto studio ferveret, mentéque grata
Redderet heu Matri præmia tanta suæ.
Nam redimita gerens Phœbæa tempora lauro
Immemor haud tituli clarus honore fuit.
Quin imò vescens peramica sobrius aura,
Cuique dedit nanti per freta sæva manum.
Postea clausurus (stant fatis cuncta cadúntq;)
Postremum fato iam properante diem,
Muneribus Musas tantis ornavit egentes
Quanta aliquis poterit vix celebrare satis:
Namque nova sita clara Domus testatur in urbe,
Collegio studium ritè dicata tuum.
Hinc victu insignes arte & pietate Magistri
Utentes, memores officij hujus erunt.
Si te non pietas flexisset, amorque bonarum
Musarum, Caroli pauperielque Domus,
Iam pridem proprijs vivendum sumptibus esset,
Præclaris studijs, & gravitate viris.
Ergo prius vacuo volitabit in aëre pennis
Squammigerum, nullo præpediente, genus:
Et prius horisonum plauastro sulcabitur æquor,

Ac flava

Ac flavam cererem Vultava nostra feret:
Quàm tua de nostro dignissima munera corde,
Semper inoblita mente manente, fluent.
Quare quisque pij Vodnani exempla sequendo
Succurras Matri gratificando tuæ.
Ne tua scintillans ferrum malè tempora araret,
Hospitis ingrati & grammata fronte geras.
Res angusta domini quòd si te præpedit, ultrò
Officio saltem, consilióque juva.
Omnia fortuna rimam faciente dehiscunt,
Sola diu pietas, officiúmque manent.

M. Ioannes Khern
Plzenus.

Est aliquid servare modum, finémque tenere;
Naturámque sequi, bellóque referre triumphum,
Et præstare animo: qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.
At pia pro meritis rursus benefacta referre,
Atque sui memores alios fecisse merendo,
Hoc etiam virtutis opus, quæ præstat ubique
Omnibus officijs, similisque per omnia prorsum
Magno Anchisiadæ, patrem dum tollere in altos
Optabat primùm montes, primúmque petebat,
Nolentem excisa vitam producere Troia.
Ipseque sublato montem genitore petebat,
Succedens oneri: neque eum labor iste gravabat.

C ij

Talis

Talis gnata fuit capti Cimonis, in urbe
Aufonia: namq; hæc tenebroſo in carcere clauſum,
Luſtúq; exhaultum, ſenijq; labore, famiſq;
Iam velut infantem (dictu mirabile) paruum,
Dicitur exertis patrem lactaſſe mamillis.

Talis eras, ó perpetuum memorande per avum,
O bonus, ó noſter, nulli virtute ſecundus,
Barptolomæ, tuæ ſoboles fidiffima matri,
Quæ veteri nobis dicta eſt Academia voce.
Hæc te progenuit, varijs exercita curis,
Vt tibi mens puro foret uſq; in corpore pura,
Præditus ut multa poſſes excellere dote.
Qui meritis illi pro tantis mutua contrà
Soluiſti, quum de terris teſtatus abires,
Donaréſq; tuas matri gratiffimus ædes,
Gymnaſio Magno grati argumenta favoris:
Ceu liquidi fontes, unde aufugère, viciffim
Huc reflua volvuntur aqua: tritúmq; ſubinde
Illa viam repetens, raucum per levia murmur
Saxa ciet, ſcatebríſq; arentia temperat arva.

Quis tantum meriti reſono queat edere verſu?
Quis celebrare queat dignè? niſi flumine fontis
Abluat Aonij ſe totum, atq; ore diſerto
Provocet Andinæ vires & robora Muſæ?
Te nunc emeritæ perfunctum tempore vitæ
Cœleſtis pars orbis habet, campiq; piorum:
Sed bene apud memores veteris ſtat gratia facti,

Et re-

Et rem iner, quod præſtiteras. Sic ſcilicet omnis
Se ſociat cœlo, dum viva ſpécq; fidéq;
Mutua pro meritis reddit bene gratis alumnus,
Et puchra ratione, DEI iuvat arva: neq; illum
Ipſe Deus celſo necquicquam ſpectat Olympo,
Donec adhuc ſuperat terris, & veſcitur aura.
Cúmq; cadit letho, mortaléſq; exiit artus,
Illius in terris remanet pars magna ſuperſtes,
Et ventura ſuum profert in ſecula nomen,
Vivida ſufficiens victuris carmina chartis,
Carmina pro meritis: neq; enim privandus honore eſt,
Quisquis in Aonias confert ſua præmia Muſas.
Ergo pijs umbris applaude Scholaſtica pubes,
Quæq; tot inter adhuc florens Academia turbas,
Alma parens, perſtas: manibus cape lilia plenis,
Purpureos ſpargens flores: animámq; nepotis
His ſaltem accumula donis, & fungere ſveto
Munere: nobiſcum peragens pia vota precéſq;:
Vt bene patronus requieſcat, & illius oſſa
Molliter interea recubent, déntq; illius umbris
Cœleſtes ſuperi tenuem & ſine pondere terram,
Spirantéſq; crocos, & in urna perpetuum ver.
Et dum longa dies perfectò temporis orbe
Concretam excipiet labem, purúmq; relinquet
Aethereum ſenſum, atq; aurai ſimplicis ignem:
Arbiter omnipotens hunc in ſua ſceptra reponat
Nobiſcum, magnis ubi tum nova menſibus ætas

C iij

Inci-

Incipiet, veræ texens primordia vitæ,
Ante Deum æterno florens Academia cursu.

M. Adamus Rosacius.

Cum meditor tempus, quo passa est Bœmia tristem
Pro meritis gravibus, peste furente, necem.
(Proh superi) crines mihi torpens erigit horror,
Turbata argenti mensque stupore cadit.
Attulit atra lues primum contagia Bœmis
Parva quidem, multis exitiosa tamen.
Ut modico torrens strepitu generatur in ortu,
Postea collectis it metuendus aquis:
Sic fera crevit hyems, sensim crudescere morbus,
Vicina gravior cepit & ire die.
Dij meliora pijs: palsim corruptior aura
Ingruit, exitij signaq; spemque dedit.
Cernere erat papulas ruptis fervere costis,
Cernere erat Stygiæ vulnera sæva Deæ.
Vicit atrox Atropos, dilapsaque corpora tabo,
Sub terræ rigida traxit operta manu.
Nil valuere suis quæsitæ viribus herbæ,
Nil calidæ potuit thurea virga Sabæ.
Mens fuit ad delubra cito descendere passu,
Fundere synceras proque salute preces.
Visum aliter superis, templi Cortina petitam
Humano generi surda negavit opem.
Quid tibi tunc animi Tripolis generosa relictum,

Vulne-

Vulnera cum caperes peste furente, fuit?
Vix tu istam toties cœlestibus acta ruinam
Prodigijs, animo es præmeditata tuo.
Ludere credideras superos cum plurima cello
Chasmata non raro, profluere polo.
Crebrius & vatum quanquam manifesta futuram
Nultorum vox est vaticinata luem:
Sperasti meliora tamen, vulgusque putarat,
Mocturnis solitas ætheris esse minas.
Spes damnanda, labor, fureret virosa priusquam
Tempestat, vitæ suscipiendus erat.
Sic modo parva tuas querimonia læderet aures,
Effet amicorum plus, gemitumque minus.
Proh dolor, orbatam quot habemus civibus urbem?
Ante suum gemimus quos cecidisse diem?
Ille etiam Lachesis vi Barptolomæus acerbæ?
Argentem subijt lumine cassus humum:
Is re & consilio studuit servare, minata est
Mergere civiles, si qua procella Lares.
Pauperibus facilis, discendas calcar ad artes
Fas, virtutis amans, & pietatis erat.
Ut Musis suus esset honor modò, tradidit illis
Quas peperit curis irrequietus opes.
Tristia sic genitor subiturus funera, proli
Prospicit adversas ne ferat orba vices.
Mens eadem paucis, multis est nequior, est qui
Vix curto sacros æstimet esse choros.

C iij

Dic

Dic terris unda quid vilius? hanc tamen olim
Invidit Clario rustica turba Deo.
Nunc punitur aqua, sub aqua querulatur, eamq;
Admissi erroris poenitet atque pudet.
Ergo quod hic fautor nostras moriturus in artes
Vfus consilio dexteriore fuit:
Dignus laude mori prohibetur carmine, iam ipsa
Ornatur Latio funeris urna stylo.
Hoc cinerem, hoc Manes, umbram hoc sentire sepultam,
Officium Elysijs hoc puto scire Lares.
Vultava qui stringit sinuoso gurgite ripas,
Præterit & vitreis qui cava busta vadis:
Testis erit veros funesta mente dolores
Nos ferre ex obitu Barptolomæ tuo.
Fidus eras, vitæque magis, quàm morte iuvabas,
Si modo Musa tua tristis egebat ope.
Tu statio, fractis tu portus, & aura carinis,
Optima tu Phœbi laus es, eras & eris.

M. Ioannes Choripus.

Tres

Tres Leomontano incipiebant fila sorores
Ducere, percepta, munera prima, die.
Atq; colo nexum carpentes ritè laborem,
Formabant digitis ferrea fata suis.
Tum crudele Nefas data nondum lumina Solis
Noscenti, extremum comparat interitum.
Vita (ait) hæc duce me nascenti mortis origo est,
Omnibus invictas infero triste manus.
Nam neq; Patrocli studium, neq; fortis Achylles,
Queisq; datum decimo vere redire, rates,
Gratia non Paridis, non Lydi gloria Cræsi,
Mortis ab extrema conditione vacant.
At Natura, parens iustissima & optima rerum,
Cui nullum statui par queat artis opus,
Artifici diæ, (si quis pote nunc age nostrâ
Ambas has mundi temperet arte domos)
Hæc pro prole sua nervos intenderat omnes,
Sæq; ipsam magno vicerat ingenio,
Quò, Superùm quam præcipuè formaverat oris,
In vita iustas posset habere moras.
Infit Mercurius: Nam quæ vos cura remordet?
Officij res est scilicet ista mei.
Fatalis mihi virga, animas ego funere solvo,
Et jubeo cæcas ire redire vias.
Ridebat Pluto, volvens sub corde, Promethei
Dextræ quam fragilis temporis esset opus.
Tum Musæ magni soboles Iovis inclyta, Divùm

C v

His

His liti verbis imposuere modum.
Definite o tandem studia in contraria scindi,
Non res hæc vestro pendet ab arbitrio.
Noster erit primò miles, dux noster in orbe
Deinde, nec ignavas functus adibit aquas.
Nam non ingenio collectum nomen ab ævo
Excidit, ingenio stat sine fine decus.
Sic fatæ, procul à terris super astra levatum,
Qua lucet noster, constituere, polus.

PRAGÆ
EXCVDEBAT M. DANIEL ADA-
mus à Velelavina.